



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

De Divina Psalmodia, Ejusque Causis, Mysteriis, Et Disciplinis, deque variis Ritibus omnium Ecclesiarum in psallendis Divinis Officiis, Tractatus, Historicvs, Symbolicvs, Asceticvs. Sive Psallentis Ecclesiae Harmonia - Opus novum, & curiosum, ac multiplici eruditione illustratum ... Operum ...

Bona, Giovanni

Parisiis, 1678

§. 8. De Ritu Carmelitarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9929

§. VIII.

De ritu Carmelitarum.

I. **C**armelitæ Breviarium habent secundum antiquam consuetudinem Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Hic enim Ordo pietate & religione præstantissimus diu floruisse in Oriente dicitur, antequam per diversas Europæ Provincias diffunderetur. Eorum ritus non discrepant à Dominicanis hoc dumtaxat excepto quod diebus Dominicis per annum dicunt ad Primam Psalmum 117. *Confitemini*. In Dominicis item Adventus quinque Psalmos ad Primam aliis consuetis præmittunt, nempe 21. *Deus Deus meus*, cum quatuor sequentibus. Dominicis verò Septuagesimæ usque ad Pascha, ad Laudes, & Primam eosdem Psalmos recitant, quos Prædicatores. Tempore Paschali consuetos Psalmos concinunt in nocturnis Vigiliis: tres autem Psalmos dicunt solummodo per octavas Paschatis, & Pentecostes, sicut Romani. Preces longiores habent post quædam officia. In fine cujusque horæ semper dicunt Antiphon. *Salve Regina*, cui tempore Paschali substituitur *Regina cæli*. Officia multa Sanctorum habent cum elegantibus Hymnis, Antiphonis, & Responsoriis. Diebus Resurrectionis initio Vesperarum, omisso Versu *Deus in adjutorium*, cantant solemniter *Kyrie eleison* novem vicibus, sicut in Missa: quo ritu utebatur olim Romana Ecclesia, ut constat ex ordine Romano, & ex (a) Ruperto Abbate: eundemque legi in Breviario Præmonstratensi, & in antiquiori Breviario Ordinis Prædicatorum.

a Rupert. lib. 8. de div. Offic. c. 2.